per ſeriam devotionem, perq; fructus juſtitiæ: unde ſane *Chriſtiani nominamur, nō ut in Chriſtum tantum credamus, ſed ut in illo nos, & ipſe in nobis vivat*. Deinde ut & illud conſtaret, ſeriam pœnitentiam ex intimis cordis penetralib9 proficiſci, animum, ſenſum & affectiones mutare penitus, totumque hominem Chriſto & illius Evangelio conformare; nosq; per verbum Dei indies in novam creaturam renovari oportere. Etenim ſicut quodvis ſemen ſimiles ſibi fructus profert, ita verbum Dei in nobis quotidie fructus ſpirituales progerminare: nosque ubi per fidem nova creatura ſumus effecti, in eadem quoq; vivere eſt neceſſe. Quin ut ſummatim & compendio dicam, animus eſt nobis demōſtrare, quomodo in nobis Adam mori, Chriſtus autem vivere debeat; *cum non*

Dei ſemen in nobis fructificare debet.